sor recipere uas suum.

Quarto loco succedunt acoliti qui latine dicuntur ceroferarii. qui accensos cereos
deferunt dum legitur euangelium. uel dum offertur sacrificium. non ut tenebras huius aeris illumi-
nent. sed ob signum sic uisibile lumen manibus gestant. ita opera lucis proximis ostendant.
et more lucis excecantibus uiam in tenebris palpantibus, ducatum prebeant. Hoc officium se habere
dominus in euangelio testatur dicens. ego sum lux mundi. Qui sequitur me non ambulat in tenebris. sed ha-
bebit lumen uite. Hi cum ordinantur postquam edocti fuerant ab episcopo qualiter in officio agere debeant.
accipiunt ab archidiacono candelabrum cum cereo. ut sciant se ad accendenda luminaria
mancipari. Accipiunt et urceolum ad infundendam aquam in calicem. quo consecrandus est sanguis christi. ut sit
commemoratio sanguinis de christi latere profluentis et aque procedentis. Que duo in calice ideo commiscentur.
quia sanguine christi sumus redempti et aqua baptismi a peccatis abluti.

Quinto loco ordinantur subdiaconi qui in ministerio altaris approximant. qui uasa corporis
et sanguinis christi portant. Unde lex continentie eis imponitur. quatinus impleant illud prophete.
Mundamini qui fertis uasa domini. id est ut et seipsos exhibeant uasa in honore. non in contumeliam. et uasa sancta
quibus ministratur corpori domini deferant ad altare. et referant ab altare ad domini gloriam. sicut ut fugiant omnem
carnis immunditiam. Isti ministrant officium leuitarum. et in templo domini oblationes suscipiunt a
populis. ad istorum pertinet prouisionem. tantum de oblationibus ponere in altari. quantum populo sufficere possit.
Ad horum officium pertinet. corporales pallas et substratoria lauare et aquam in baptismo ingerere. Hi cum
ordinantur accipiunt patenam uacuam et calicem uacuum de manu episcopi. De manu uero archidiaconi
accipiunt urceolum cum aqua. manile. et manutergium. quibus mundare manus debent sacerdotes et leuite
tractaturi dominice mense sacramenta. Hoc officio usus est dominus qui cena facta cum discipulis linteo se pre-
cinxit. et mittens aquam in peluim. pedes discipulorum lauit. et linteo extersit. Una significatio est lin-
thei et manutergii quia de lino fiunt. et multis castigationibus et ablutionibus ad candorem perueniunt.
Linteo uero pedes puluere fedati prius aqua lauantur deinde linteo extergantur. Sic cum psalmista dicimus.
Lauabo per singulas noctes. id est per singulas offensiones lectum meum. id est conscientiam meam in qua sanus
quiesco. eger laboro. et cum apostolo. Castigo corpus meum et in seruitutem redigo. eodem modo ministri manus
lauant et tergunt cum omnem terrenam cupiditatem uel concupiscentiam de operibus suis excu[tiunt].

Diaconorum ordo sequitur loco. non sine aliquo senarii misterio quia per sui perfectionem
significat operum perfectionem. Hic ordo in ueteri testamento a tribu leui habuit exordium. Precepit enim dominus moysi
ut post ordinationem aaron et filiorum eius. rursus tribum leui ad diuini cultus ministeria ordinaret
et consecrentur domino. et seruirent pro israel coram aaron et filiis eius in tabernaculo dei. Ipsique gesta-
rent archam et tabernaculum et omnia uasa eius. et in circuitu tabernaculi ipsi castra constituerent. et in trans-
portando tabernaculo ipsi deponerent. rursus ipsi componerent. A uiginti quinque annis et supra iussi
sunt seruire in tabernaculo. Quam regulam sancti patres et in nouo testamento ab apostolis constituerunt. quia hec etas
ad portanda onera robusta est. Quod illis a moyse institutum est. Quod et in nouo testamento representatur
cum diaconibus super sinistrum humerum complicatur. quia quicquid laboris et continentie in hac uita
toleramus. tamquam in sinistra portamus. donec in dextera. id est in eterna requie habeamus. Hic ordo in nouo testamento
ab apostolis initium sumpsit. qui sicut legitur in actibus apostolorum. vii. uiros boni testimonii plenos spiritu
sancto ad hoc officium elegerunt. et oratione premissa manus eis imposuerunt. Ex tunc apostoli eorum successo-
res secuerunt. ut in omni matre ecclesia. vii. diaconos circa aram christi sublimiori gradu tamquam columpne
altaris assistent. non sine aliquo septenarii misterio. In quo significatur ut septiformis gratie spiritu prefulgen-
tes sancti sint corpore et spiritu. Hic numerus constat quaternario et ternario. Quaternarius refertur ad corpus propter
.iiii. elementorum in corpore consonam complexionem. ternarius uero ad animam. propter triplicem anime uirtutem.